177497

Literæ Universales
S. R. M^tis. Sveciæ,

Qvibus
Senatores & universa Nobilitas
Regni Poloniæ
pro suscipienda tutela & patrocinio
intra diem [illegible]
Warsaviam convocata.



NOs CAROLUS GUSTAVUS, DEI gratiâ Svecorum, Gothorum, Vandalorumq; Rex, Magnus Princeps Finlandiæ, Dux Esthoniæ, Careliæ, Bremæ, Verdæ, Stetini, Pomeraniæ, Cassubiæ & Vandaliæ, Princeps Rugiæ, Dominus Ingriæ & Westphaliæ, necnon Comes Palatinus Rheni, Bavariæ, Juliæ, Cliviæ & Montium Dux. &c. Senatoribus, Dignitariis & universæ Nobilitati, Terrarum in Palatinatu Siradiensi, gratiam & favorem nostrum singularem. Non potest vos latere, qvam gravibus causis moti simus, ad capienda adversus Regem Poloniæ arma, præveniendaq; ea mala, qvæ Nobis, Regnoq; nostro, à dicto Rege jamjam imminere vidimus. Huic armorum nostrorum justitiæ ita suffragata est Divini Numinis bonitas, ut, sine ullo impedimento, non modo nostræ potestatis fecerimus urbem sedemq; Regiam Warsaviam, sed etiam felici progressu magnam partem Poloniæ victrici nostra manu peragrati simus, spe certâfre-

tâ freti: DEUM OPT. Max. conſilia actiones q; noſtras porrò proſpero eventu beaturum. Qvamvis verò arma noſtra ulterius proferre posſemus, atq; eo, qvo datum eſt, modo victoria uti adverſus eos, qvi partibus ſe noſtris non adjunxerunt: tamen cum ea ſit indoles noſtra, ut Clementiam & benignitatem potius noſtrã, qvam iram & indignationem teſtatam facere velimus; proinde vos hisce clementer ſerioq̀; invitamus, ut viſo lectoq̀; hoc Diplomate propere ad protectionem, tutelam & patrocinium noſtrum confugiatis, & omni cum Poloniæ Rege commercio renuntietis, intraq̀; diem 20^{mam} ſtyl. vet. proxime inſtantis menſis Octobris Warſaviam vel ipſi veniatis, vel Deputatos veſtros ſufficientibus mandatis inſtructos mittatis. Qvod ſi feceritis, promittimus, libertatem Religionis immutabiliter conſervatum iri. Deinde milites noſtros ab omni Procerum & Nobilium, Civitatum, Caſtrorum & ſubditorum violenta invaſione, deprædatione ac di-

direptione inhibebimus, atq; commercia, cum finitimis, qvantum ob injurias temporum fieri poterit, tuta & secura præstabimus, ac postremo eorum desideriorum, qvæ Statum, Dignitatem & Jura vestra, concernunt, condignam rationem habebimus. Si hanc gratiam & benignitatem, nostram aspernati fueritis, nec vos à Rege Poloniæ separaveritis, neq; qviete vixeritis, vos pro hostibus habituri, & possessiones bonaq; vestra Fisco nostro subjecturi sumus. Qvibus vos Deo clementer commendamus. Dabantur Casimiriæ ad Cracoviam d. 30. Sept. Anno 1655.

Carolus Gustavus.